



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

§. 1. Quid sit appellatio & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

hoc differt sententia & res iudicata à lege & Canone, quia lex & Canon omnes omninò obligant, *cap. 1. sup. de constitut.* Et ideo, si ex duobus heredibus debitoris alter condemnetur, alteri integra defensio est, etiamsi ex eadem causa cum hærede seiverit agi, *l. Sapè D. de re iudicata.*

Dixi, regulariter, quia hæc regula, quòd res inter alios acta aliis non præjudicet, patitur quasdam exceptiones, de quibus, *in d. l. Sapè D. de re iudic.* Nam si quis de ea re, cujus actio vel defensio primum sibi competit, agi patiatur cum sequenti vel alio, & taceat, sententia contra sequentem lata, ipsi etiam præjudicabit, *d. l. Sapè v. g.* Si gener socerum vel possessor venditorem, de proprietate rei emptæ vel in dotem datæ experiri patiatur, condemnato socero vel venditore, sententia nocebit genero vel possessori: quia licet cum his actum non sit, tamen quia ex eorum voluntate actum esse intelligitur, eis scientibus præjudicabit.

3. Tertius effectus est, producere actori, pro quo lata est, actionem iudicati sive rei iudicatæ, ut præstet reus id, in quo condemnatus est, satisfaciaturque sententiæ, *l. Adori 8. Cod. de rebus creditis.* Estque civilis ea actio, descendens ex lege *xij. Tabb.* Item personalis, *l. §. 11 D. De peculio*: perpetua & rei persecutoria, hæredi & in hæredem competens, *l. Miles §. ult. D. de re iudicata.* Reo verò per sententiam absoluto producit exceptionem rei iudicatæ, contra actorem ejusque hæredem vel alium, ejus nomine agentem, *l. Rei iudicata D. de except. rei iudic.* nisi fortè nunc ab intestato conveniatur, qui ante ex testamento conveniebat.

4. Denique sententia semel lata non rescinditur prætextu instrumentorum de novo re-pertorum, vel aliarum probationum, *c. Inter monasterium, c. Suborta 21. h. s. l. Subprætextu Cod. De transact. l. Subspecie D. de re iudicata.* Nisi lata sit ex præsumptionibus, aut ex opinione peritorum in aliqua arte, aut in causa matrimoniali, aliisque causis exceptis, de quibus *Glos. in c. Lator. 7. h. s.* nec item ratione erroris in calculo seu computatione, *l. 2. Cpd. de re iudicata, l. unica Cod. de errore calculi*; nisi error calculi in sententia exprimat, *l. 19. §. 1. D. Qua sententia sive appellat. rescinduntur.* Solutum

quoque auctoritate rei iudicatæ non repetitur tanquam indebitum, *l. 1. Cod. de consuet. indebiti, l. Si fideiussor §. in omnibus D. Mandati l. Cum partem D. Familia eriscunda.*

TITULUS XXVIII.

De Appellationibus, Recusationibus, & Relationibus.

§. I.

Quid sit Appellatio & quotuplex.

1. Ratio ordinis.
2. Appellatio quid sit.
3. Alia est iudicialis, alia Extrajudicialis.
4. Extrajudicialis quomodo fiat.
5. Item appellationum alia rationabiles, alia frustratoria &c.

1. Quia sententia subinde fertur contra jus alterius litigantium, sive per imperitiam Judicis, sive quia litigator non satis jus suum deduxerit & probaverit: idè necessarium fuit, ut introduceretur appellandi usus, *l. 1. D. heret.* Nam per appellationem effectus sententiæ inter-peditur, quæ aliàs transiret in rem iudicatam & quia Recusatio ac Relatio conveniunt cum Appellatione in jurisdictione Judicis suspendenda, idè, ne Tituli multiplicentur, simul & semel de his tribus tractandum erit.

2. Est autem Appellatio hoc loco ab inferiore Judice ad superiorem facta provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi.

3. Ea est duplex, judicialis, quæ proprie & strictè dicitur Appellatio; & extrajudicialis, *Clement. 3. eod. tit.* & hæc dicitur Appellatio latè sumpta. Illa est à sententia sive definitiva sive interlocutoria, ut ea corrigatur: hæc autem ab actibus & decretis extrajudicialibus, *l. 1. c. Concertationi hoc tit. in 6. l. 1. §. solent D. Quando appellandum sit*, ut dum appellatur ab electione, spoliatione, & similibus, *d. Clement. 3. eod. tit.* Et solet dici Provocatio ad causam, & habet vim conventionis, *c. Cum sit 8.*

mana §. si vero b. r. ideoque fieri debet ad Iudicem ordinarium, coram quo citandus & vocandus esset adversarius pro lite, dum est litigandum via ordinaria, d. e. *Cum sit Romana in fine, Gloss. in d. e. Concoctatione in V. gravatum*: nec unquam suspendit executionem, nec causas attentata, e. *Communiter 11. sup. De electione*, Gonzales ad Reg. VIII. *Cancell. Gloss. in annotat. contra nullitatem & attentata n. 29.* ubi subiungit, hanc esse unam differentiam inter appellationem extrajudicialem & judicialem, ex quatuordecim, quas assignat Abbas in e. *Bona memoria 51. h. 1.*

4. Rursus Extrajudicialis est duplex: aut enim non à Iudice, sed à parte extra iudicium appellatur, d. e. *Bona memoria*; vel à Iudice extrajudicialiter procedente.

5. Appellationum, siue Judicialium siue Extrajudicialium, aliæ sunt rationabiles & justæ seu legitime, aliæ frustratorix, frivolar, in animas & leves, Frustratorix, ut quæ morandæ solutionis vel suspendendi iudicii causâ interponuntur, l. *Tutor D. De usuris*. Frivolar autem & leves, quæ pro minimis rebus interjiciuntur, quæque tales ut temerariæ rejiciuntur, & quas etiam rejicit Ulp. in l. *Sirem aliorum §. solutam autem D. De pignoris actione.*

§. II

Quis appellare possit.

1. Appellat quilibet, cuius interest.
2. Vniu. & sociis appellatio etiam aliis prodest.
3. Et domini prodest subdito.
4. Excommunicatus in iudicio rectè appellat.
5. Item procurator habens mandatum.
6. Non gravatus non appellat.

1. Appellare potest non solum is, qui condemnatus est nomine siue suo siue alieno, vel uti procuratorio, tutorio, l. 4. §. *fin. Et tutor 27. D. hoc tit.* modo non sit condemnatus, vel contumax, l. 1. *Cod. Quorum appellat. non recip.* sed etiam quilibet alius, cuius interest, licet condemnatus non sit, l. 1. *D. De appellat. recip.* Hinc enim humanitatis ratione receptum est, ut pro damnato ad supplicium provocare quilibet possit, l. 6. *D. hoc tit.* quasi omnium inter sit innocentem defendi, & hominem hominis beneficio assisti, l. *Servus D. De servis exportandis.*

2. Quod si unus è pluribus appellaverit, & causa sit communis, & una eademque omnium defensio, appellatio eius etiam proderit aliis, qui non appellaverint, l. 1. & 2. *Cod. Si unus ex pluribus appell. l. 1. §. fin. D. eod.* Quod obtinet in correis criminalibus, Iul. Clarus §. *fin. q. 94. versic. Quaro numquid*. Licet aliud obtineat in beneficio restitutionis, in quo unius restitutio alteri non prodest, d. l. 2. & l. 1. *Cod. Si in communi eademque causa integ. restit. postuletur.*

3. Sed & domini appellatio subdito prodest, si subditi saltem per consequentiam interfit, arg. *o. Disleis 55. h. 1.*

4. Excommunicatus appellare quidem potest judicialiter, quia illa appellatio est species defensionis, quem ne quidem diabolo denegandam scribit Speculator, extrajudicialiter vero appellare non potest, quia talis appellatio habet vim conventionis: atqui excommunicatus alterum convenire non potest.

5. Ut autem procurator possit appellare, mandatum habeat necesse est, saltem generale, hocque sufficit, cum appellatio sit de prosecutione primæ instantiæ: & ideo tenetur quoque appellare, & appellationem à se interpositam denuntiare domino illis casibus, quibus prosequi non tenetur, *cap. penult. sup. De procurat.* An autem & quando possit vel teneatur aut non teneatur eam prosequi vide Scacciam *Tract. De appellation. questio. 5.* Calvolum in *Praxi §. Procurator Conclus. 1.*

6. Quemadmodum verò quilibet gravatus & cuius interest potest appellare, ita è diverso non gravatus, & cuius non interest, non appellat, quia gravamen est causa appellationis, quo proinde cessante cessat appellatio. Hinc ob veram contumaciam condemnatus non appellat, quia non dicitur is gravatus. Similiter nec notorius delinquens seu confessus & convictus, quia non dicitur quoque gravatus. Sed & frivole appellans audiri non debet, quia gravatus non sit, sed alium gravare studeat: unde etiam mulctari vel excommunicari potest.

§. III.

A quibus Iudicibus appellare liceat.

1. Regulariter ab omnibus iudicibus appellatur.
2. Fallit in Principe, non recognoscente superiorum.
3. Fallit isom in supremis Conciliis.